

Dissertatio inauguralis chymico-medica de radice colomba / [Eberhard Philipp Becker].

Contributors

Becker, Eberhard Philipp, 1742-1799.
Cartheuser, Johann Friedrich, 1704-1777.
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Frankfort-on-Oder : J.C. Winter, [1773]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mm825zds>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DE


RADICE COLOMBA




BECKER

1773

12859/P





Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30368819>

16
L XII
DISSERTATIO INAUGURALIS
CHYMICO-MEDICA
DE
RADICE COLOMBA

QVAM
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV

PRAESIDE
IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORDIN. ACADEMIAE FRANCOFVRTANA
NAE SENIORE, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS
SODALE, SENATVS ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE
SCIENTIAR. VTIL. ASSESSORE ORDINARIO
FACVLT. MED. H. T. PRO-DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

IVRIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

DIE SEPTEMBRIS MDCCLXXIII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

EBERHARDVS PHILIPPVS BECKER

MAGDEBVRGICVS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACAD. REG. TYP.

1773


DISSERTATIO IN AVGVRA
CHYMICO MEDICA
DE
RADICE COLOMBA

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
PRAESIDE
IOHANNI FRIDERICO CARTHEVSER

PRO GRADV D.
SVMMVSQVE IN MEDICINA
PRAECEPTORIS
PRAESIDI



EBERHARDVS PHILIPPVS BECKER
MAGISTER
WAGG
DIE SEPTEMBERIS MDCCCLXXII



FRANCORTII AD MVAENAM
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI WINTERII
ACAD. REC. TYP.

V I R O

NOBILISSIMO

ET ARTIS SVAE PERITISSIMO

DOMINO

IOHANNI PHILIPPO

BECKER

INCLYTI SENATVS MAGDEBVRGICI

ASSESSORI

AC PHARMACOPOEO SPECTA-

TISSIMO

PARENTI SVO

AD VLTIMVM VITAE HALITVM

COLENDO

A 2

PA-

PAGELLAS HASCE AC ACADE-

MICAS

ET ARTIS SVAE PERITISSIMO

IN

PUBLICVM PIETATIS AC REVERENTIAE

DOCUMENTVM

CVM ARDENTISSIMO OMNIGENAE

PROSPERITATIS

ASSESSORI

VOTO

AC PHARMACOPOLIO SPECTA-

OFFERT AC CONSECRAT

PARENTI SVO


FILIVS OBEDIENTISSIMVS

EBERHARDVS PHILIPPVS BECKER.

PA-

A 2

DIS-



minantium tamen opinionum vortice abrepti, vires medicamentorum justo pede metiri nesciunt, aut negligunt, pharmaca pretiosa et ex diffitis regionibus ad nos translata, pluris plerumque aestimant, ac laudibus suis eorum nonnulla ultra meritum extollere solent, viliora ex adverso atque vernacula, etsi carioribus peregrinis saepe saepius praestantiora existant, et naturae nostrae magis congrua inveniantur, despiciunt. Non adprobo hyperbolica ac plane interdum temeraria quorundam de praecellente exoticorum virtute judicia, socium tamen illis quoque memet adjungere nolo, qui nostro aevo, repudiatis prorsum exoticis, morborum curationes solis indigenis expedire student. Inter pharmaca enim simplicia peregrina, ex India utraque aliisque regionibus, plus

plus minus a patria nostra remotis, transmissa, multa occurrunt, quae in hac vel illa corporis aegritudine viribus plane specificis, vel eminentiori tamen virtute, quam analogae indolis simplicia vernacula, donata reperiuntur. Non adducam hoc loco singula, in pharmacopoliis dudum venalia, sed Radicem duntaxat ipecacoanhae, senekam, mungo, rhabarbarum chinense, corticem peruvianum ac Winteranum verum, simaroubam, cascarillam, lignum quassiae et guajacum nominabo, et iis hac vice etiam *Radicem Colombam* addere lubet; quippe quae, ante paucos demum annos, uti fertur, ad nos asportata, ac valde adversus dysenteriam laudata fuit. Encomium hoc repetita etiam apud aegros observatio haecenus confirmavit, nec chymicum quoque examen, quod, mixtionem

ejus exploraturus, haud ita pridem suscepti,
 experientiae documentis repugnat; quare
 istud in sequentibus, breviter tamen prae-
 missis praemittendis, describere, consultum
 duxi; spe fretus, operam hanc Medicis pru-
 dentioribus, qui semper, aut ubicunque
 tamen fieri potest, amicam rationis et expe-
 rientiae copulam optant, haud
 ingratham fore.

§. I.

Radix *Colomba*, ab aliis etiam *Calomba*, nec non, quanquam, uti ego opinor, minus recte, *Columba* dicta, radix longa, crassa, et inæqualiter rotunda est; non integra tamen ad nos transfertur, sed in orbiculos aut frustra cylindræ diversæ magnitudinis dissecta, quæ unum duntaxat, vel unum cum semisse, et adhuc sæpius duos pollices transversos diametro suo æquant, ac tenui extrinsecus et nonnihil rugoso cortice ferrugineo obducta cernuntur. Substantia interna, quæ texturam paulo compactiorem, quam cortex, obtinet, subfusco et hinc inde etiam luteolo-albicante aut nigricante colore gaudet, et linguæ, æque ac cortex, saporem satis amarum, radicis gentianæ rubræ saporis valde analogum, naribus autem subtilem, molliusculum ac plane singularem odorem balsamicum, ad odorem seminis cumini fativi nonnihil accedentem, imprimit; non fortis tamen hic posterior, nec valde etiam durabilis reperitur, sed intra modicum temporis spatium, si radix in loco paullulum calido adservetur, et constans aeri libero ad eam aditus pateat, tantopere decrescit, ut vix amplius in integris segmentis sentiri possit. Quare ad retinendum nobile hoc principium volatile necesse est, ut illa, charta probe obvoluta, aut, quod

B

adhuc


adhuc melius est, vitro conservari, bubula vesica postmodum muniendo, indita, in loco frigidiusculo custodiantur.

§. II.

Planta, cujus partem radix descripta sistit, in insula Zeylona sponte crescit, et circa præcipuum ibi munitissimumque Batavorum propugnaculum, urbem nempe Colombo, unde suam procul dubio nominationem accepit, uberioris proventus esse dicitur; de peculiari tamen nomine ejus et charactere botanico certi quidquam hac vice tradere nequeo, quoniam mihi scitu in hac parte necessaria nondum innotuerunt, nec aliis quoque Europæis, sicuti ex silentio eorum suspicari licet, hætenus perfecte innotuisse videntur. Nam omnes in Hollandia, et inter hosce etiam viri doctissimi et botanicæ scientiæ satis gnari, quos rogavi, ut mihi pleniorē dictorum notitiā communicarent, responderunt, radicem hanc recentius demum a Naucloero quodam, ex Zeylona reduce, asportatam, ac parum hætenus usurpatam fuisse, adeoque ea sese, quæ scire cuperem, adhuc ignorare. Naucloerus memoratus, quod mihi rursus alii retulerunt, eximiam hujus radice virtutem ipse in dysenteria, qua diu in Zeylona laboraverat, expertus est, et viginti circiter libras ejus secum Amstelodamum attulit, et unico mercatori, cum plures tunc temporis mercis an-

tea

tea ignotæ emtores non inveniret, vendidit, e cujus taberna postmodum partim ad Germanos, partim ad Anglos, quibus virtus ejus antidysenterica jam citius, quam Batavis, cognita fuisse videtur, pervenit. Vero hæc postrema consentanea, aut valde minimum similia existere, ex iis constare opinor, quæ illustris GAVBIVS in *Adversariis varii argumenti sub Radicis Indicæ Lopezianæ* descriptione de radice nostra, tametsi obiter tantum atque brevissime, attulit: „Priusquam tamen, p. 82. scribit, quod in animo erat, „remedium, cui in edomandis alvi profluviis par aliud „inter illa, quæ in Europa usitata sunt, vix cognosco, „ad publicam utilitatem evulgarem, meis non satis „fretus experimentis, malui cum amicis quibusdam „meis, Medicis, communicare, qui et ipsi explora- „rent meque de suorum tentaminum eventu, qualis- „cunque foret, certiozem redderent. Opportunita- „tem dedit Vir in medendi arte versatissimus, Salo- „mon de Monchy, Poliater Roterodamensis, idem- „que nuper a Magistratu urbano Professoris titulo „ornatus. Miserat is mihi radicem Indicam Ceyla- „nensem, Calomba dictam, sibi a Pringlio, aulæ „Britannicæ Archiatro, magnopere laudatam com- „mendatamque ut probatissimum ad alvi profluvia „remedium; illi vicissim ego, tum forte de mea Lo- „peziana cogitans, hujus aliquantum transmitto, con- „similique virtute præstantem ut data occasione expe-



„riatur rogo, mihiq̄ue, qualem sese exhibuerit, signi-
 „ficet. Retulit autem factis in triplici diarrhoeæ ge-
 „nere periculis visum sibi esse, Radicem Calomba
 „in alvi fluxu habituali, ægro gracili et extenuato plus
 „præstare, quam meam: in aliquot infantibus ex
 „acido vel dentitione nata Diarrhoea, Lopezianam
 „quidem, quod operæ pretium esset, nihil effecisse: ve-
 „rum in colliquativa Phthisicorum, tam promptam
 „attulisse opem, ut etiam aliis remediis palmam præ-
 „ripuerit. Illos inter hominem fuisse vera tabe pul-
 „monali laborantem, cui quum Diarrhoea aphthosa
 „affecto et Anima rhabarbari et radix Calomba, nul-
 „lo successu exhibita fuissent, Lopeziana tam celeri-
 „ter et fructuose alvum compresserit, ut simul et
 „aphthæ evanescerent, et æger, præter expectatio-
 „nem, octiduo post a morbo suo revalesceret, annuo
 „inde spatio jam exacto integerrima fruens sanitate.


§. III.

Plura de planta, ob certioris, uti dictum, no-
 titiæ defectum, adducere hac vice et nequeo et no-
 lo, sed iterum ad radicem, quæ sola præsentis tra-
 ctationis objectum constituit, revertar, ac singula ex-
 perimenta chemica, ad indolem ejus et mixtionem
 accuratius investigandam suscepta, distincte recense-
 bo. Primum eorum destillatio humida fuit, quæ mi-
 hi sequentia monstravit: Aqua simplex, duabus ra-
 dicis

dicis minutim dissectæ unciis adfusa, et igne adæquato ex vitrea cucurbita, balneo arenæ imposita, lente abstracta, aquæ puræ instar pellucida erat, nec ullum in ea olei vestigium in conspectum veniebat, debilem tamen saporem balsamico-vappidum et odorem balsamicum, æque ac radix integra, odori feminis cumini fativi aut ammeos Cretici analogum, obtinebat. Portio decocti fusci, in cucurbita relicta, et post decantationem ac colaturam calore blando evaporata, extractum nigricans, densum atque ficius, in saliva tamen sub degustatione satis solubile, præbuit, quod sapore amaro, nullo autem odore præditum erat, et drachmas sex pendebat. Ex partibus gummosis, resinosis et copiosis quoque terreis tenerioribus, sub coctione diuturna violentius avulsis, et unione sua pondus extracti valde augmentibus, mixtum erat, ac totam igitur substantiam activam fixam in se continebat. Ex residuis enim radicis frustulis siccatis, adfuso spiritu vini rectificatissimo, nihil amplius, sensibili energia instructum, extrahi potuit, et aliqua infusi pars, in cochleari argenteo evaporata, luteam duntaxat maculam formabat.

§. IV.

Præmissa destillatione, extractiones cum menstruis variis adornavi, et primum integram radicis pulverisatæ unciam cum aqua simplici digestionem in



arena calida per diem noctemque commisi. Impe-
travi infusum subfuscum, sapore valde amaro et eo-
dem, quo aqua destillata gaudebat, odore, ast debi-
liori, donatum. Sub blanda evaporatione ejus idem
quoque odor molliusculus balsamicus, cum paulla-
tino tamen fortitudinis decremento, constanter ad-
surgebat, et, absoluta perfecta inspissatione, extra-
cti, jam paullulum ficci, drachma una, scrupulus
unus et grana quatuor relinquebantur. Extractum
hoc in saliva satis solubile ac valde amarum erat, et,
præter odorem pristinum, nunc magis tamen debi-
litatum, in parte sua superiori, luci obversa, colo-
rem nigricantem, in parte infima autem, fundo con-
chæ vitreæ contigua, obscure luteum, ad dilute
brunneum vergentem et vulgaris pulveris sternuta-
torii Hispanici (*Spaniol*), aut croci metallorum Ru-
landi colori haud dissimilem, possidebat.

§. V.

Radici, post primam cum aqua extractionem
superstiti, et aliquantulum rursus siccatae, sufficien-
tem denuo spiritus vini rectificatissimi quantitatem
adfudi, ac modo priori calidam digestionem itera-
vi. Inde tinctura flavi coloris nata est, quæ evapo-
ratione ad siccitatem usque redacta, unicum dunta-
xat extracti scrupulum dedit. Extractum hoc ab
extracto præcedente qualitatis intuitu notabiliter dif-
crepa-

crepabat. Nam color ejus subfuscus parvis hinc inde miculis albicantibus argentei nitoris distinctus erat, sapor amaritie sua saporem infusi et extracti primi aquosi multum superabat, et odor balsamicus quoque non fortior solum, sed longe pariter gratior existebat, ac proxime ad odorem, quem recentes flores hyacinthi subcoerulei vulgaris spirant, accedere videbatur. Sub degustatione solutio ejus in saliva paullo difficilius quidem ac tardius succedebat, sensim tamen sensimque in ea diffluit, et, æque ac rhabarbarum manducatum, luteum illi colorem conciliavit.

§. VI.

Inverso postmodum extractionis ordine, et æquali radicis pulverisatæ quantitate, una nimirum uncia primum cum spiritu vini rectificatissimo, deinde cum aqua simplici temporariæ digestionis calidæ subjecta, tinctura saturate flava, grati odoris balsamici ac fortis saporis amari prodiit, quæ, blando calore perfecte inspissata, massam fuscam, sapore admodum amaro et suavi odore balsamico-moschato, florum hyacinthi odorem optime etiam æmulante, præditam, reliquit; pondus tamen ejus exiguum erat, ac tantum ad grana viginti quatuor adscendebat. A spirituoso hoc extracto primo extractum secundum, idque aquosum, quoad proprietates ac vires magno-
pere

pere differebat. Massa enim fusca ac satis spissa, post debilis infusi evaporationem remanens, lentius fere, quam extractum spirituosum primum, saliva solvebatur, et odore ac sapore penitus destituta erat; pondere tamen præcedens superabat, et scrupulos quatuor pendebat.

§. VII.

Ut nihil denique, quod hic lucem aliquam foenerari et cognitionem naturæ subjecti nostri perfectiorem adjuvare posset, omitterem, solennioribus ac semper necessariis extractionibus cum aqua et spiritu vini peractis, pulverifatam hanc radicem deinde sensim quoque cum vulgari vino Gallico albo, cum puro itemque atque pellucido aceto vini et cum liquore quodam aqueo-alcalico, oleo videlicet tartari per deliquium, aqua nonnihil diluto, digestionem et extractionem commisi. Infusum vinosum, colore flavo, proxime ad aurantium inclinante tinctum, folius ferme menstrui odorem, eumque tamen paullo ingratiorem, quam vinum purum, emittebat, et linguæ saporem mediocriter amarum imprimebat. Cum infuso hoc quoad saporem massa pariter flavo-subfusca, post evaporationem relicta, ac panem mellitum nonnihil redolens, conveniebat, tenax tamen erat, et in longa ideo filamenta sub portionis modicæ exemptione cum cultri cuspe diducebatur. Infusum,

fusum, cum aceto vini paratum, subtilem ac fortem odorem acidum, papillulas narium nerveas vivide pungentem, ac peculiariter nauseoso aliquantulum mixtum, emittebat, et saporis amaritudine, cui acidulus tamen junctus erat, præcedens infusum vinosum superabat. Massa, inde evaporando spissata ac fusco colore prædita, infuso odoris quidem ac saporis intuitu haud dissimilis fuit, amarities tamen longe major reperiēbatur, et propter aciditatem sociatam in gustus organo sensationem fortem excitabat. A descriptis infusis et extractis vinosis et acetosis infusum et extractum alcalico-aquosum notabiliter discrepabant. Infusi enim color fusco-rubellus erat, odor integræ radicis odori analogus, ast rudior atque debilior, et sapor lixivioso-amaricans. Massa, post infusi evaporationem superstes, ab infuso quoad proprietates externas parum recedebat, præterquam, quod sapor lixiviosus fortior, amarities autem minor et vix amplius memoratu digna, existeret.


§. VIII.

Utilitas, quam experimenta descripta præstant, manifesta est, dum clarius ex iis cognoscitur,

- I. Mixtionem radicis Colombæ, præter *copiosas partes terreas inertes*, quæ in uncia radicis una, sicuti ex collatione experimentorum quodammodo constat, pondere suo ultra drachmas quinque

C

que



que adscendant, *subtile ac plane specificum elementum volatile balsamicum*, nec non *efficacissimam substantiam fixam amaram*, tam *resinosam*, quam *gummeam*, ingredi; principium postremum tamen, gummeum nempe, copia majori, quam resinofum, adesse.

II. Principium volatile balsamicum in fixa substantia resinosa longe copiosius, quam in parte gummea, hospitari, et illi multo etiam tenacius inhærere, adeoque huic virtutis intuitu portiores partes jure deferendas esse.


III. Tincturam spirituosam et ejusdem cognominis extractum, non aperta tamen evaporatione, sed blanda lentaque menstrui e cucurbita abstractione ad justam consistentiam redactum, viribus medicis decoctum, infusum et extractum aquosum superare, et infuso etiam vinoso præstantiora existere.

IV. Acetum et ejusdem naturæ menstrua reliqua amaritudinem substantiæ solutæ et extractæ augere, viresque ejus intendere; oleum tartari per deliquium ex adverso, aliasque solutiones, cum aqua ex alcali quodam fixo paratas, saporem amarum valde debilitare, quin ita tandem destruere, ut gustu vix amplius percipi possit, adeoque separatam substantiam activam pristina virtute sua spoliare. Observatio hæc, quæ
apud

apud quamplurima subiecta amara, sicuti me-
met frequens experientia docuit, notatur, pe-
culiarem meretur considerationem, quoniam
Chemicis illis, qui in plantis amaris sal alcali fi-
xum explicitum ante incinerationem jam deli-
tescere, nec inde igitur produci demum, sed
soltim educi, statuunt, parum favet. Si inter
ordinaria enim atque nativa earum principia
militaret, nullum ab adfusis liquoribus alcalicis
amaritudinis decrementum, nec ullum quoque
ab acidis ejusdem incrementum, sed potius
contrarium expectandum foret.

§. IX.

Virtutes medicæ hujus radicis, quæ, absoluta
analysis chemicæ descriptione, adhuc commemoran-
dæ restant, partim a fixa ac valde amara substantia resi-
noso-gummea, partim a tenero et peculiari prorsus
principio volatili balsamico dependent, ac merito
in communes et proprias sive specificas dividendæ
sunt. Ad priores, quæ plerisque aliis radicibus,
herbis, floribus, corticibus, lignis etc. amaris et
balsamico amaricantibus competunt, virtus atte-
nuans, abstergens, calefaciens, diaphoretica, ro-
borans, alexipharmaca, sanguinem purificans, anti-
putredinosa, stomachalis, anthelmintica, antifebri-
lis, uterina et traumatica spectat; posterioribus ve-




ro, quæ reliquis in hoc vel illo morbo valentiores reperiuntur, singularis illa ac præpotens virtus, quam, testante crebriori Medicorum observatione, in dysenteria epidemica, anno præterito multis hinc inde hominibus exitiali, monstravit, accensenda est. Operationem suam in mucido - cruenta ac valde torminosa hac diarrhoea roborando magis, quam abstergendo et discutiendo exercet; hinc sub ipso nequaquam mali exordio, sed dato prius leni remedio cathartico - emetico, et aliquandiu pariter præmissis demulcentibus mucilaginis atque gelatinosis, in usum vocanda est. Medicorum nonnulli, uti certius mihi rescire contigit, sequentem hætenus in medendo ordinem observarunt. Post primam nempe morbi accessionem ægro pulverem exhibebant, ex scrupulo integro aut sedecim duntaxat granis radicis ipecacanhæ et scrupulo dimidio rhabarbari orientalis compositum, deinde per diem noctemque, vel paullo etiam diutius, mixturam ex tinctura seu vulgo ita nuncupata anima rhabarbari et liquore terræ foliatæ tartari, interposito tamen potu largo ptisanæ cujusdam, ex hordeo aut avena cum radicibus graminis arvensis, althææ, scorzonæræ recentioris, salab, semine milii et gelatina cornu cervi aut eboris parandæ, moderata per vices quantitate propinabant, simulque clysmata ex decocto avenaceo et gummi Arabico aut tragacantha semel, vel etiam, pro torminum scilicet

licet ventris et acrimoniæ in saburra eliminanda gradu discrepante, aliquoties immittendum curabant, et tandem pulverem e corticis simaroubæ scrupulo semisse, radicis colombæ granis tribus et massæ pilularum de cynoglossa grano uno concinnatum, et per integram diem noctemque quovis elapso quadrihorio adsumendum, præscribebant.

§. X.

Methodum expositam, numerosis omnino fausti successus exemplis confirmatam, non improbo quidem, pro meo nihilominus judicio cura interdum, serius scilicet advocato Medico, et fluxu alvino jam valde cruento, paullo aliter dirigenda erit. Non amplius videlicet pharmacum emetico-catharticum solitarium, propter natam dudum majorem intestinorum erosionem, eidemque junctam plerumque inflammationem superficiariam, perfecte securum videtur, sed rhabarbarum aliis medicamentis, quæ demulcendi virtute pollent, et erosas intestinorum tunicas solari atque defendere valent, ea quantitate misceri oportet, ut aliquot saltem ejus grana una vice ingerantur. Quod me attinet, hæcenus electuarium ex syrapi dialtheæ aut de symphyto Fernelii uncia una et semisse, extracti, chamomillæ vulgaris et angelicæ ana drachma dimidia et pulveris rhabarbari scrupulo uno aut drachma semisse compositum,



positum, ægros, quovis præterlapso trihorio, ad unum semper cochleare minus (*Theelöffel*) adsumere, et loco potus ordinarii refrigeratum nonnihil decoctum, ex hordeo aut avena et radicibus graminis, dialtheæ, scorzonæræ recentioris et radice salab, aut gelatina cornu cervi, addito simul pauxillo flavedinis corticis citri paratum, frequentius ac largius haurire jussi. Educta notabili per aliquot dies saburræ viscido-acris copia, descripti electuarii usum aliquantisper quidem, citra ulteriorem tamen rhabarbari miscelam, continuavi, ac, valde urgentibus ventris torminibus atque tenesmo ani, unum alterumve clysterem ex avena excorticata, floribus chamomillæ vulgaris et radice althææ injiciendum curavi. Deinde electuario prædicto pulverem corticis simaroubæ aut radicis colombæ, vel utrumque parva quantitate, quæ in unico præbio seu dosi raro trium aut quatuor granorum pondus excessit, addidi, et, hac observata medendi methodo, finem meum feliciter plerumque affecutus sum.

§. XI.

Præter eminentem virtutem antidysentericam vires stomachales et antifebriles hujus radicis paullo uberiores quoque considerationem hoc loco postulant. Ventriculum enim et intestina egregie roborat, cruditates viscidas, in iis collectas, resolvit


et

et abstergit, saburram pituitoso·putridam ac bilem inertem corrigit, viscerum obstructiones, quæ sæpe rebellium febrium intermittentium causæ existunt, referat, et cum insigni igitur fructu contra varia appetitus et concoctionis vitia, contra vomitum itemque, lienteriam, coeliacam, icterum chronicum ac refractarium, a bile spissa ac fere emplastica, ductum choledochum obthurante, ortum, et molesta denique illa pathemata, hostili vermium, in prima culina hospitantium, actione producta, in usum trahi potest. Convenit in hac parte cum radice gentianæ rubræ nostratis, propter singulare tamen principium volatile balsamicum virtute illam antecellit.

§. XII.

Apud virtutes reliquas, quibus hoc pharmacum simplex donatum reperitur, nihil amplius, peculiari commemoratione dignum, invenio exponendum; quare specialiolem quoque contemplationem earum prætermittam, et adhuc nonnulla tantum, de iis, quæ ad usurpandi modum spectant, addam. Optime hæc radix, quod primum monebo, integra mixtione sua nativa, adeoque in substantia data, operatur, et hoc igitur sine vel per se in pulvere a granis aliquot ad scrupulum unum et ultra, exhibetur, vel aliis pulverulentis, nec non bolis, electuariis, morsulis, imo pilulis copia majori aut minori admisce-
tur.

tur. Commode præterea inter decocta aquosa et aceta medicata recipi, et efficax pariter extractum, protractiori coctione cum aqua ac blanda postmodum decocti inspissatione, nec minus tinctura spirituosa inde parari possunt. Extractum hoc, quod ex folis nequaquam partibus gummosis constat, sed teneriora simul corpuscula resinosa, aquæ ebullientis actione a terreis inertibus avulsa, continet, sub forma pilulari a granis aliquot ad scrupulum semissem, quin grana duodecim, adsumi, ac solum quoque, aut cum aliis extractis mixtum, conficiendis temperatioribus tincturis vinosis impendi potest, Tinctura spirituosa indolem calidioram obtinet, adeoque dosis ejus non facile ultra guttas quadraginta ascendere debet. De usu radicis externo, cujus nullam adhuc notitiam habeo, multum afferre nequeo, credo tamen, illam inter valentiora purificantia et antiputredinosa traumatica collocari, et cum spe auxilii non spernendi, sub forma decocti, in ulceribus impuris ac phagedænicis in usum trahi posse: Nec dubitandum quoque erit, quin ipse pulvis, ulceribus inspersus, multum ad depurationem eorum ac consolidationem conferat.




THESES MISCELLANEA.

- I. Eminens spiffitudo et acrimonia humorum in senectute proVectiori penitus praecaveri nequeunt, quoniam variae depravationes machinae, sensim sensimque ad interitum ruiturae, vel nullam amplius, vel minus sufficientem tamen medelam admittunt.*
- II. Saburra acris, in ventriculo et intestinis hospitans, et partes sensibiles ac valde irritabiles vellicans, multa ac varia capitis, pectoris et artuum pathemata, quae ignari aegrotantes et parum quoque attenti Medici idiopathica aestimant, consensuali nervorum actione et praeternaturali sanguinis congestione producit.*
- III. In India utraque caeterisque regionibus aequinoctialibus et aestuosis viscerum naturalium imbecillitas, nec non ingens humorum acrimonia et frequens ac repentina largae plurimum exhalationis cutaneae suppressio inter praecipuas morborum, ibi solenniurn, causas militant.*

IV. Aromata calidiora, quae in plerisque Asiae, Africae et Americae tractibus aestuosis uberrime generantur, magis incolis calidarum, quam frigidarum regionum conducunt.

V. Frequens aeris corrupti ventilatio, aqua recens et pharmaca acidula ad praeslantissima navigantium remedia prophylactica referenda sunt; imo notissima Limonada Anglorum spiritiuosa, Punsch dicta, temperatior tamen ac modice hausta, non contemnendum subinde auxilium praestat.

VI. Equitatio egregium quidem in febribus lentis, a viscerum obstructione praecipue pendentibus, remedium constituit, si cum moderamine scilicet ac justo tempore fiat: Secus vero de ea judicandum erit, quando motus blandi limites excedit, vel incongruo tempore suscipitur.



CLARISSIMO
DOMINO CANDIDATO
EBERHARDO PHILIPPO
BECKERO

ADFINI SVO CONIUNCTISSIMO


S. D. P.

ANTONIUS FRIDERICVS STOCKHAVSEN

MEDICINAE DOCTOR ET PRACTICVS


APVD MAGDEBVRGENSES.

Recte mihi statuere videntur ii, qui omnem doctrinam et
disciplinae rationem ponunt in iugeni cultura. Non enim
vasta rerum cognitarum farrago, vel confusa rerum, quae
indoctos fugiunt, notitia id, quod eximium in eruditione ap-
pellatur, constituit; neque amplitudine rerumque cognita-
rum numero doctrinae praestantia metienda est, qua vel
doctissimos ab indoctis fere vinci quotidie observamus. Non
ergo rerum cognitarum multitudine, sed ipsa cognitionis per-
fectione, eruditionis pulchritudinem formari, si quid judi-



care possum, arbitror. Eadem, quae natura omnes ho-
 mines docuit, quaeve vulgo constant, scientiae partem com-
 plectuntur: at distincta et solida eorundem cognitione, quam
 ipsa eruditionis vox innuere videtur, nos imbuit disciplina.
 Hinc iis, qui ad veram eruditionis laudem adspirant, nihil
 prius, nihil antiquius esse oportet, mentis ingeniique facul-
 tatem perficiendi cura. Quum enim ad naturam eximiam
 atque illustrem accesserit ratio quaedam confirmatioque doctri-
 nae: tum illud, nescio quid, praeclarum ac singulare solet
 existere. Hanc naturae eximiae sortem, quae Tibi, Adfinis
 charissime, divino beneficio prae multis obtigit aliis, non
 deamo solum, sed in praesenti etiam ex animo gratulor. At
 enim vero, dum in universas praeterea rationes, ad quas vi-
 tam tuam inde a pueritia composuisti, introspectio: fateor,
 me non ad gratulandum tantum, sed, si per tuam modestiam
 liceret, ad excurrendum etiam in laudes Tuas, quibusdam
 quasi stimulis incitari. Nam charissimo Parente Tuo, du-
 ce atque comite, postquam per plurimos juvenilis aetatis Tuae
 annos Chemiae ac Pharmaciae cultorem Te praestiteras stre-
 nuum et pereximium, ipse demum sponte tua animum ad re-
 liquas artis medicae partes tanta alacritate, tanto ardore,
 tanta-

tantaque virium contentione adplicuisti, ut mirum, quantas in iis feceris progressiones. Quo etiam factum est, ut praeter Tui ipsius spem atque expectationem, sic volente, sic moderante Deo sapientissimo, in navi quadam Batavica demandata Tibi fuerit Medici ordinarii provincia. Qua navi tandem in portum apud Indos Batavinum feliciter appulsa, in diffitis his regionibus per triennium fere annorum spatium medicinam summa cum laude, et quod laudem forte superat, summo cum emolumento tam in aegrotorum quam Tui ipsius salutem naviter exercuisti. Sed Indorum divitias verae scientiae ac sapientiae multum postponens, in Germaniam rediit, novam, eamque impigram, universae arti medicae operam navasti, celeberrimosque ejus in inclita Academia Viadrina Professores indefesso studio audiisti, praesertim vero ab ore D. Cartheuseri, Viri doctissimi ac candidissimi perpendisti, remigioque, quod o junt, veloque laborasti, ut cognitionem Tuam accessionibus bene multis locupletares. Commode jam mentem subit, quod eleganter non minus quam apposite Hippocrates jam dixerit: Oportet sapientiam et experientiam ad medicinam traducere, et medicinam ad sapientiam. Quod sapientissimum venerabilis cor dictum uti-



nam hodie omnes commendatissimum sibi haberent, qui ad medicinam tam feliciter et rite addiscendam, quam cum fructu olim exercendam cupidi adspirant. Quod si quis philosophiam et experientiam cum Medicina ita coniungit, ut non modo vitae, sanitatis et morborum sufficientes rationes cognoscere, verum etiam rerum tam salubrium quam insalubrium ipsorumque medicamentorum vires et medendi methodum penitus introspicere satagat: is profecto, si qua mihi iudicandi vis atque facultas est, in salutari hoc studio praeter ceteris eximios facit progressus, et aliquando idoneus redditur, ut cum recta solidaque ratione sanitatem hominum tam praesentem conservare, quam amissam restituere valeat, adeoque honorificum eruditi Medici nomen inprimis mereatur. Mereris igitur omnino, charissime Adhins, hunc titulum, qui quod multi, proh dolor, alii, in hominum perniciem facere solent, non cruda in artis nostrae exercitium studia propulisti, et neque dies neque operam in Academia frustra contrivisti. Qua propter haud vane auguror, fore, ut non solum morbis vulgaribus, sed etiam difficilibus atque ancipitibus, auxiliante Deo, in posterum feliciter mederi queas. Quemadmodum autem in arte nostra, detectis morborum causis

ac proprietatibus recta via incedere optimaque semper et accommodatissima methodo uti debemus; sic etiam quam maxime nos decet, ut mente recta et sincera ubique versemur. Eam igitur, tanquam clypeum felicitis praxeos firmissimum, ita commendatam nobis habemus, ut animum neque ad simulandum, neque ad dissimulandum unquam flecti permittamus, sed viri boni charactere vitam nostram agendique rationem condecoremus omnem. Qualem cum ego Te noverim, vere tibi atque ex animo gratulor studium artis medicae academicum bonis ominibus emensum, impenseque laetor, Te laudabilis industriae Tuae insignes ferre fructus, propediem summis Doctoris honoribus digne ornandum. Scis me minime blaudum esse. Non laudo sicut adulatores solent. Mediocris laus fidem invenit, non ea quae verissimi litudinis obliviscitur. Publice tamen laetissima hac occasione erat declarandum, quam belle in praecordiis tuis acquiescam. Quicquid autem in me ingenii, fidei ac dexteritatis est, si modo est, id equidem intelligas velim, me in obsequium Tui lubentissime esse exhausturum. Ego enim hercle de propensione in Te nemini concedam. In Patriam sive redeunti, in diffitas sive regiones denuo excurrenti, patefcat Tibi novum diligentiae colle-

haeque

etaeque eruditionis stadium, novi carceres operientur ad præ-
 clara quaevis contendenti, novos denique comites nancisceris
 per scientiarum latifundia tecum obambulatuos. Quorum
 studiorum rerumque omnium tuarum rationes ut Tibi ex
 voto fluant, ita precor, ut sancte possim polliceri, non faci-
 le quenquam aequè gavisurum, quicquid Tibi benecefferit, ac
 ego laetabor. Ita vale, resque tuas omnes age rectissime,
 felicissime, utilissime, meque ut facis ama. Dab. Mag-
 deburgi d. 2. Sept. clc clcc LXXIII.

The first part of the report is devoted to a general
 description of the country, its position, and its
 resources. It is followed by a detailed account of
 the various districts, and the manner in which they
 are governed. The report then proceeds to a
 description of the principal towns, and the
 manner in which they are situated. It concludes
 with a summary of the principal facts, and a
 list of the principal officers of the government.

The second part of the report is devoted to a
 description of the principal towns, and the
 manner in which they are situated. It concludes
 with a summary of the principal facts, and a
 list of the principal officers of the government.

The third part of the report is devoted to a
 description of the principal towns, and the
 manner in which they are situated. It concludes
 with a summary of the principal facts, and a
 list of the principal officers of the government.

